DE OFFICIO
Immaculatæ Conceptionis Beatæ MARIAE.
In Sabbatho recitando.

SANCTISSIMVS D. N. PAVLVS Diuina prouidentia Papa V. propter eximiam ſui deuotionem, erga immaculatam DEIPARAE Virginis CONCEPTIONEM anno 1612. die 16. Iulij conceſſit per Sacram Rituum Congregationem quod omnes Fratres Capuccini S. FRANCISCI omnibus diebus Sabbathi (feſto nouem Lectionum eo die non occurrente non impeditis) poſſint recitare Officium immaculatæ CONCEPTIONIS ſub ritu Semiduplicis. Sed quia ordo in omnibus ſemper eſt laudabilis; ideò vt omnes Lectiones, quæ per totam Octauam Sanctiſſimæ CONCEPTIONIS habentur etiam per annum, ſuum proprium obtineant locum, ſeruentur vt infra.

In primo Nocturno ſemper legantur Lectiones de ſcriptura occurrente, quæ cum certis temporibus non habeantur, tunc legendæ erunt, quæ diei Feſto ſunt aſſignatæ.

¶ In ſecundo & tertio nocturno.

Menſibus Ianuarij & Februarij Sermo & Homilia, quæ in ipſo die Conceptionis habentur.

Menſibus Martij & Aprilis, quæ ſecunda die infra octauam habentur.

Menſibus Maij, & Iunij, quæ quarta die habentur.

Menſibus Iulij, Auguſti, & Septembris quæ ſexta die habentur.

Menſibus Octobris, Nouembris, & Decembris ea, quæ poſita ſunt die octauo eiuſdem ſolemnitatis.

Notandum eſt tandem pro menſe Decembri, quod Sabbatho immediatè antecedenti Vigiliam Natiuitatis Domini, non fit Officium de Sanctiſſima Conceptione, ſed de Feria; eo quod Antiphonæ in Laudibus ſuo proprio loco aſſignatæ nunquàm omittuntur.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. P. M. Sac. Pal. Ap.
Ceſar Fidelis Vicesger.

Imprimatur F. Thomas Pallauicinus Magiſter & Reuerendiſs. P. F. Ludouici Yſtella S.P. Ap. Magiſtri Socius Ordinis Pradic.

ROMAE Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M. DCXII.

DECRETVM

SAcra Congregatio Cardinaliũ Concilij Tridentini interpretum cenſuit, licentias ingrediendi intra ſepta Monialium ex vera tantum neceſsitate concedendas quo ad Monaſteria regularibus ſubiecta pertinere tantùm ad ipſos Superiores Regulares.

Io. Garſia Cardinalis Millinus.

Locus ✝ Sigilli.

Imprimatur Ceſar Fidelis Viceſger.

Impr. Fr. Ludouicus Iſtella Magiſter Sac. Pal. Apoſt.

ROMAE. Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M. DCX.